



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Paschalis II. Papæ epistola ad Clericos Ecclesiæ Parisiensis, qua eis
commendat eorum Episcopum Galonem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

*PASCHALIS III. PAPÆ
epistola ad Clericos Ecclesiæ Parisiensis, qua
eis commendat eorum Episcopum Galonem.*

Anno 1105.

Paschalis Episcopus servus servorum dilectis filiis Parisiensis Ecclesiæ Clericis salutem & apostolicam benedictionem. Et nobis & vobis gaudendum est, quia post multa quæ vestræ Ecclesiæ contigerunt adversa, Dei vos misericordia respexit. Personam siquidem idoneam & sacris canonibus congruentem ad vestræ Ecclesiæ gubernationem suam vobis benignitate concessit. Ipsum igitur ad vos redeuntem litterarum commendatione prosequimur, rogantes ut eum plena affectione diligatis, plena humilitate veneremini. Confidimus enim eum disciplina ecclesiasticæ futurum esse custodem & salutis vestræ sollicitum provisorum. Huic sedulis officiis obedite, & gratiam vobis in eo conciliate cœlestem. Hunc ad recuperanda Ecclesiæ bona, quæ prædecessorum illius tempore tam in personis quam in prædiis distracta dicuntur, communibus adjuvate præfidiis. Ad quam causam annuente Domino strenuè peragendam nostræ auctoritatis ei vicem concessimus; quatenus si Episcopi, aut quorum parochiani bona ipsa diripiunt, aut quorum in parochiis bona eadem habentur, aut nolunt aut desides sunt Ecclesiæ vestræ justitiam facere, ipse vel interdicendi vel excommunicandi eos, nisi satisfecerint, habeat facultatem. Illud sanè quòd apud quosdam Clericorum fieri audivimus, ut videlicet majores præbendaria minoribus hominibus suscipiant, & huic cohibendum præcipimus, & litteris præsentibus ne fiat ulterius interdiximus. In hujusmodi siquidem conciliatione & notatur ambitio, & gravius vide-

tur Ecclesiæ scandalum generari. De cœnobio sancti Eligij quid agendum sit, ejus provisioni commissimus. Dicitur enim & loco importunissimo situm, & inhabitantium desidia tam infamiæ quàm ærumnæ vehementer expositum. Datum Laterani VII. Idus Aprilis.

Vir clarissimus Lucas Dacherius edidit in tomò III. Spicilegij pag. 126. litteras Paschalis II. ad Daimbertum Archiepiscopum Senonensem, quibus ei commendat Episcopum Parisiensem noviter à se consecratum. Putavit ille intelligenda hæc esse de Fulcone. Verùm ex epistolis 144. & 146. Ivonis Episcopi Carnotensis, tum etiam ex ea Paschalis epistola quam nos heic edidimus, in qua agitur de monasterio sancti Eligij, manifestum est & illam Dacherij & nostram explicandas esse de Galone Episcopo Parisiensi.

*PASCHALIS II. EPISTOLA
de monasterio Semichensi in Hungaria, ad
Hugonem Abbatem monasterij sancti Ægidij in Septimania.*

Paschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto An. 1106.
in Christo filio Hugoni Abbati monasterij sancti Ægidij quod in valle Flaviana situm est ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Latislavus siquidem bonæ memoriæ Hungarorum Rex ad honorem Dei & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in memoriam sancti confessoris Ægidij Semichensem fundavit Ecclesiam, & eam per manum Odilonis felicis memoriæ prædecessoris vestri monasterio beati Ægidij, cui auctore Deo præfides, obtulit; ubi & ejus corpus venerabile requiescit.

M iiij